UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Defensio Locorum S. Scriptvrae. De Ecclesia Catholica, Et Eivs Pastore Episcopo Romano, B. Petri, principis Apostolorum successore, libri duo. Aduersus nugatorias ...

Torres, Francisco de

Coloniae Agrippinae, 1580

VD16 ZV 18729

Capvt V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-33634

Visual Library

omnium Christianorum patrem, & doctorem existere, &c. Andrea, & tu Antoni, & iacta te cum Caluino, cum quo erit vobis pars in altero sæculo, dãnationem Eugenij in Concilio illo malignantiũ, qui se in caput suum Deo repugnantes frustra, & vanè, atque impiè extulerunt.

CAPVT V.

SED *videamus deinceps, quomodo probet Antonius crimina, quæ in omnes Ecclesias nostras, id est, Catholicorum obijcit.* Videmus enim, *inquit*, vestras ordinationes nũquam sine nummis, rarò sine fauore principum fieri, videm⁹ perpetuas vestrorum sacerdotiorum nundinas. *Videmus, inquis Antoni, qui nescio an vnquam ex Germania exieris, & an ecclesiam vllam noueris, nisi Lutheri. estis ne vos Elisæi, qui in Germania estis, vt ipsi absentes Giezitas nostros videatis, & dicere possitis cum Elisæo, nonne cor nostrum in præsenti est, cum pretium datis & accipitis? vtinam nulli essent apud nos Giezitæ, qui apud vos esse non possunt in ordinationibus, & sacerdotijs, quia interierunt apud vos ordinatio & sacerdotium Ecclesiæ Catholicæ. Viget alioqui apud nos canon apostolorum 29. Si quis Episcopus, inquit, pecunia hanc dignitatem adeptus fuerit, vel presbyter, vel diaconus, deponatur tum ipse, tum is, qui illum ordinauit; & abscindatur omninò etiam à communione Ecclesiæ, sicut Simon magus à me Petro. Omninò abscindi ab Ecclesia, est abscindi sine spe redeundi ad eam. Proximus canon 30. si quis, inquit, Episcopus opera potestatum sæcularium vsus ecclesiam adeptus fuerit, deponatur, & excommunicetur, & omnes qui cum eo communionem habent. Hi canones Apostolici & diuini in nostra ecclesia vigilantissimè custodiuntur; & seuerissimè qui in eos tanquã in laqueos incidunt, puniuntur. Veni tu, & finge te Catholicum, & defer nomen alicuius de Simonia, siue ad tribunal alicuius Episcopi in ecclesia eius, siue Romæ ad iudices Rotæ, & videbis non per somnium, sed per vigiliam, somnium esse dormientis. quod nunc dicis te videre nostras ordinationes nunquam sine nummis, rarò sine fauore principum fieri. Ita ne impius, & ingratus in Deum eris, vt sanitatem vituperes, quia reperiuntur ægroti, quos secare & vrere opus sit? an Simon magus Apostolicam sanitatem afflixit, aut minuit, quia pecuniam obtulit Petro, & Ioanni? an nõ tulit meritas pœnas? si tu aut alius videret dissimulari istud crimen, & silere nostros canones, iustè querelam ad nos deferre viderere. Nunc autem si quis ex tuis paulò quam tu æquior & pudentior à te quæreret, quomodo vides Antoni, quod tu dicis videre? vnde scis? quid responderes integra fronte? an diceres videre te sensu oculorum? non credo ita insanires, quid dixi, nõ credo? imò ita insanire mihi videris, siquidem dicis ab ipso sensu me esse redarguendum, quia*

Quomodo apud Protestantes nulli Giezitę in ordinationibus et Sacerdotijs esse possũt.

Quomodo apud Catholicos nõ silent canones in Giezitas sanciti; & quomodo id potest habere exploratum Antonius, si velit.

Quomodo Antonius impius & ingratus sit.

Quid respõdeat Antonius simile responsioni Iudæorum.

quia non video per vigiliã, & experrectus, quod tu per somnium & dormiens. O acrem accusatorem, quin potius responde sic, quia aliter nõ potes, nisi ista esset, non diceremus videre nos ista, quæ dicimus: habes, quos sic respõdendo imiteris, Iudæos dico, qui, cum ab eis quæsiuit Pilatus, quam accusationem aduersus Iesum afferrent, responderunt, si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.

Antonij mẽdacium insigne, quod ipse, si velit, experiri poteit mendadacium esse.

Adiunxisti hic aliud mendacium, & quidem insigne, vestros Episcopos, *inquis,* in suis diœcesibus, nemo videt præsentes, nemo audit concionantes. *Iterum prouocabo te, vt proficiscaris ad nostras Ecclesias, vt sensu oculorum tuorum redarguaris, quod tu mentiendo in nos dicis. videbis Antoni Episcopos non paucos, neq; rarò concionantes; omnes verò præsertim maiorum ciuitatum Episcopos habere concionatores, qui per totam quadragesimam singulis aut saltem ternis diebus per hebdomadam, item toto aduentu, & singulis Dominicis, ac festis diebus totius anni, sic enim præstant quod Apostolus Timotheo præcepit, quæ à me audisti per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere, siquidem hoc etiam est esse Episcopum διδακτικόν, vt idem Apostolus præcipit, esse scilicet studiosum docẽdi, vt quod per se vel propter inualetudinem, vel propter occupationes, quæ sunt permultæ, & graues in Episcopatu benè administrando, vel propter alias causas honestas facere non potest, per alios faciat. Semper enim bonus Episcopus in Ecclesia sua docere, & exhortari potest, quamuis in suggestum ascendere non valeat.*

Pergis deinde, ac ne plura, *inquis,* cõsecter, à te Turriane postulo, vt nobis repręsentes Catholicam Ecclesiam, quam apostolorum, & piorum maiorum temporibus scimus extitisse. Profers scilicet librum illum, quem vos pontificale, vel rituale appellatis, vbi certa verborum formula præscribitur in presbyteris ordinandis. *Postulas à me, vt repræsentem Ecclesiam Catholicam, quam scis temporibus Apostolorum extitisse. Sæpius repræsentaui, & quidem verbis B. Irenæi, sed tu repræsentationem non percipis, quia ab ea abhorres, et non vis audire veritatem, sed repetamus eam, si forte postulatam nunc à te, & à me repetitam, & inculcatam tandem intelligas. Ecclesiam igitur Catholicam Antoni repræsentamus, dum, sicut ait B. Irenæus, traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam in ecclesia licet perspicere omnibus, qui vera velint audire. quia verò doctrina à sanctis Apostolis tradita necesse fuit, vt per successores eorum, quos ipsi illi Apostoli instituerunt, & tanquam magistros Ecclesijs præfecerunt, vsq; ad nos veniret, subiungit ibidem Irenæus, & habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesijs, & successores eorum vsque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognouerunt, quale ab his deliratur. Si traditionem*

Quomodo Ecclesiam Catholicã, qualis temporibus Apostolorum repræsentamus, quod à nobis Antonius postulat.

nem Apostolorum in toto mundo manifestatam in Ecclesia licet perspicere omnibus, qui vera velint audire, igitur vbi non perspicitur traditio Apostolorum in toto mundo manifestata, ibi non est ecclesia. Apud nos repræsentatur ecclesia Catholica, & apud vos minimè; quia in Ecclesia nostra licet perspicere traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam, siquidem cum omnibus Ecclesijs totius mundi communicamus propter vnitatem doctrinæ; in vestra verò Ecclesia nequaquam, siquidem cum nullis ecclesijs nisi à Luthero institutis cõmunicatis propter diuersitatem doctrinæ. immò omnes Ecclesiæ vos anathematizant. Deinde cum dicis Antoni, scire te ecclesiam Catholicam temporibus Apostolorum, & maiorum piorum extitisse, postulo à te, vt dicas, an maiores quoq; tuos complexus sis, cum dixisti, temporibus maiorum piorum? scio respondebis complexum te esse; confiteris igitur pios fuisse maiores tuos, & eorum temporibus, sicut temporibus Apostolorum, Ecclesiam Catholicam extitisse. vtraque enim tempora coniunxisti. At maiores tui neque doctrinam Lutheri audiuerunt, neq; ordinationes laicas, ac populares, quas vobis dedit, & constituit, cognouerunt; sed eas, quas à S. Bonifacio per successionem vicariæ ordinationis Episcoporum ex formulis sacris Romani Pontificalis vsque ad se deductas acceperunt. His ordinationibus vtitur Ecclesia Catholica per cunctum orbem diffusa, quacunq; lingua consecratoriæ formulæ contineantur; eandem enim vim habent. Igitur ecclesia tui temporis in Germania, id est, ecclesia Protestantium non est Catholica; aut si est, maiores tui non fuerunt pij, quod paulò antè affirmasti. Sed videamus quomodo refellat Antonius nostrum librum, in quo institutiões nostrarũ ordinationum, quas ecclesia Catholica per traditionẽ Apost. accepit, feruntur. Sic enim ait, Quid? tu ne, qui nuper nostræ ecclesiæ reliquijs delitescentibus illudebas, nunc Ecclesiam Catholicam eo redigis, vt in vna libri pagina peregrino sermone exarata delitescere videatur? *Si huiusmodi nugæ Antonium deficerent, non haberet quid scriberet, date veniam ei. Quia in vna pagina continetur ratio & forma ordinandi in ecclesia ministros secundum Apostolorum traditionem, dicis fieri à nobis, vt ecclesia Catholica in vna pagina libri delitescat. si ita est, dicamus similiter, si quæ credenda sunt ex symbolo Apostolorum, in vna pagina exarantur, ecclesiam Catholicam eo redigi, vt in vna pagina delitescat. Quis queat risum tenere, cũ ista legit? credo tuos saltẽ tui pudere. Sed videamus quo serpant istæ nugæ.* Atq; affirmamus vestras ordinationes nõ esse quas Apostoli instituerunt, & quibus vsa est vetus & apostolica Ecclesia; itemq; affirmamus vestros Episcopos, si nomen excipias, nihil cum veteribus Episcopis habere commune. *Ne postuletis Protestantes & Confessionistæ à Patrono causæ vestræ Antonio Sadeele, vt probet, quod*

Quare apud Protestãtes non possit repræsentari Ecclesia Catholica.

Quomodo cogitur Antonius confiteri, aut Ecclesiam sui tẽporis in Germania non esse Catholicã; aut maiores suos non fuisse pios.

Quàm ridicula & nugatoria sint, q̃ Antonius objecit.

dicit, satis est eum affirmare quas Apostoli instituerunt. Affirmamus, inquit, vestras ordinationes non esse. Nihil amplius requiratis, finite vos à cœco cœcos duci, vt ambo in foueam, sicut Dominus dixit, cadatis. O miseros Protestantes, quibus tam crassi & hebetes magistri tam facilè illudit. Nos verò affirmamus nostras ordinationes eas esse, quas Apostoli instituerunt, & vestras contrà commentitias esse, & à Luthero pseudoapostolo ad perditionem suam & vestram excogitatas, & inuentas. id autem ne affirmemus tantum, sicut Antonius, testimonio firmissimo consuetudinis omnium ecclesiarum eas probamus. consuetudinem enim ait doctus auctor Tertull idoneũ testem esse traditionis Apostolorum; consuetudinis autem, ait idem, traditio est inuentrix. auctoritatem consuetudinis ecclesiæ, obiecit, & opposuit tanquam murum firmissimum contentiosis Apostolus. Proba tu, non esse hanc consuetudinem omnium ecclesiarum, vt cum probare non poteris, ab Apostolis traditam esse necessariò fatearis; siquidem, vt ab alijs tradi non potuit, ita ab alijs traditam ostendere non valebis. quia quod ab initio accepimus, & audiuimus, in nobis semper permansit, & permanet, sicut B. Ioannes præcipit; & cum veritas ab initio à sanctis Apostolis primis Euangelij prædicatoribus tradita sit, & in ecclesia Romana nunquam diuersa doctrina, neq; alia ministrorum institutio fuerit, quàm quæ ab initio accepta est, consequens necessariò est, vt nostræ ordinationes nõ aliæ sint, quàm quæ à Christo institutæ sunt, & à sanctis Apostolis traditæ. Hæc oportet te refellere firmis argumentis, et non nugatorijs cauillationibus, quibus crassi ingenij homines decipere fortasse potes, sed neminẽ, vt opinor, qui paulò cordatior sit. Quod enim cor habere existimandus est, qui, vbi sempiterna salus animæ agitur, in nouo et peregrino dogmate affirmanti tantum credere velit?

Quomodo Antonius probet ordinationes ministrorum Protestantium esse Apostolicas, affirmando tantum, & quibus rationibus, & argumentis affirmamus nos nõ esse.

Quid probare debeat Antonius, vt ordinationes non esse apostolicas conuincat.

„ Præterea obijcis mihi querelam Innocentij primi ex meo libro, olim, in-
„ quis, te citante, conquerebatur Innocentius Pontif. quòd plerique
„ traditiones Ecclesiæ Romanæ non obseruarent. Testimonio huius quærelæ probare vis, non esse nostrã Ecclesiam Catholicam per cunctum orbem diffusam, sicut idem statim probas altero testimonio earum ecclesiarum, quæ obedientiam Ecclesiæ Romanæ abiecerunt. Respondeamus prius de querela Innocentij: nisi hæresi & odio in Ecclesiam Romanã obcœcatus, & præditus esses Antoni, vidisses quemadmodum te & sectam tuam hæc querela Pontificis Innocentij planè coarguat, vt iam liquido tibi oculos confixeris, vt tuo prouerbio vtar. Scripsit Innocentius ad Decentium Episcopum Eugubinum, si instituta Ecclesiastica, vt sunt à B. Apostolis tradita, integra vellent seruare Domini sacerdotes, nulla diuersitas, nulla varietas in ipsis ordinibus et consecrationibus haberetur. Sed dum vnusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc existimat esse tenendum, inde diuersa in diuersis locis, vel ecclesijs,

aut teneri, aut celebrari videntur; ac sit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putant sibi, aut Ecclesijs non conuenire; aut ab Apostolis, vel Apostolicis viris contrarietatem inductam. Quis enim nesciat, aut non aduertat id quod à principe Apostolorum Petro Ecclesiæ Romanæ traditum est, & nunc vsq; custoditur, ab omnibus debere seruari? neq; superduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliundè accipere videatur exemplum? præsertim cũ sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispaniam, Africam, atque Siciliam, insulasq; interiacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Petrus, aut eius successores constituerunt sacerdotes: aut legunt, si in his prouincijs alius Apostolorum inuenitur, aut legitur docuisse, quod si non legunt, quia nusquam inuenitur, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à qua omnes principium accepisse non dubium est, ne, dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. & paulò pòst: respondemus ad ea, de quibus consulendos nos esse duxisti, non quòd te aliqua ignorare credamus, sed vt maiore auctoritate vel tuos instituas; vel si qui à Romanæ ecclesiæ institutionibus errant, aut commoneas, aut indicare non differas, vt scire valeamus, qui sunt qui nouitates inducunt, aut alterius Ecclesiæ quàm Romanæ existimant consuetudinem esse seruandam. Hæc Innocentius, quæ tu in meo libro legisti: sed videamus quomodo querela eius, de qua meministi, Lutheranos coarguat. quod enim ait, si instituta ecclesiastica, vt sunt à beatis Apostolis tradita, integra vellent seruare Domini sacerdotes, nulla diuersitas, nulla varietas in ipsis ordinibus, & consecrationibus haberetur, sed dum vnusquisque, non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc existimat esse tenendum, inde diuersa in diuersis locis, vel ecclesijs aut teneri, aut celebrari videntur, satis declarat, hinc profectã esse diuersitatem dogmatum, quæ Germaniæ tradidit Lutherus; hinc ortum nouum genus ordinationis laicæ ministrorum, quia scilicet noluit sequi ecclesia Germaniæ, quod Ecclesia Romana custodit, à qua omnes ecclesias, ait Innocent. principium accepisse non dubium est. Quis enim nesciat, aut non aduertat, ait hic Pont. sanctiß. & scientißimus, & perantiquus, id quod à principe Apostolorum Petro Ecclesiæ Romanæ traditum est, ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere seruari? Si Innocentium testem tuum esse voluisti, cùm alioqui nihil in nos dicat, & querelam eius contra nos citasti; an non valebit hoc eius testimonium in te? aut tu testem aliquem produces, cum pro te testimonium tibi, licet falsò, dicere videtur, cùm verò contra te dicit, reijcies? Sed videamus, vtrum querela ista Innocentij Pontificis causam tuam lædat, & nostram adiuuet? an non est hæc querela testis, quàm vigilans iam olim cura doctrinam & institutiones à B. Petro traditas conseruandi, & ecclesias à nouis

Quomodo querela Innocẽtij primi ab Antonio obiecta Lutheranos coarguat.

dogmatibus defendendi apud Pontificem Romanum B. Petri successorem excubet? nihil enim vsq; in hodiernum diem solicitius Romanus Pontifex curat, quàm quod hic Pontifex à Decentio postulabat, vt si qui inquit, à Romanæ ecclesiæ institutionibus errant, aut commoneas, aut indicare non differas, vt scire valeamus, qui sunt, qui nouitates inducunt, aut ecclesiæ alterius quàm Romana existimat consuetudinem esse seruandam. Consuetudinem dicit ex traditione Apostolica ortam, vt in ordinibus & consecrationibus mysteriorum, & in cæteris agendis arcanis, id est, in vsu sacramentorum, de ijs enim superius locutus fuerat, hoc scilicet in primis Romani Pontifices vigilantissimè prouident, ne sicut Apost. ad Hebræos scripsit, varijs & peregrinis doctrinis fideles abducantur. docere enim aliter, quod Apostolus in epist. ad Timoth. prohibet, vt cancer serpit, & vehementer ad impietatem proficit, nec in deferendo vllius nomine de alio crimine promptiores, aut religiosiores sunt in ecclesijs Catholicis homines, quàm de diuersitate doctrinæ, et nouo dogmate. Hæc est gloria Ecclesiæ Romanæ Apostolicæ traditionis tanquam sacri depositi fidelissima custodia, & pro eo custodiendo nec igni, neque gladio parci, quod vos ad crudelitatem, sicut olim Donatistæ, refertis, quibus beatus Augustinus pluribus in locis respondet. Vt ergo ad querelam Innocentij redeam, quòd in diuersis locis, vel Ecclesijs diuersa teneri, & celebrari viderentur, si Pontifex Romanus beati Petri successor Innocentius dissimulandum & conniuendum esse putauisset, sanè quidem auctoritatē cathedræ Romanæ imminuisse, & dedecorasse videretur, sin aūt tanta erat illius solicitudo, & excubatio, vt de omnibus admoneri, omnia sibi sine mora vlla à pastoribus ecclesiarum indicari postularet, ne quod peregrinum dogma in ecclesias introduceretur, an nō magis ista tanta vigilantia, cuius omnes Romani Pontifices hæredes sunt, hanc ecclesiam commendat? Idem respondendum est de ecclesijs Græcis, quas obijcis, me etiam consitente, vt dicis, nō agnoscere primatum Romani Pontificis. An Ecclesia Romana dissimulat, aut silet? nonne facti sunt anathema? quid amplius facere potest, aut debet? num minus Catholica est Ecclesia Romana, quòd Græci primatum Romani Pontificis non agnoscant? Quæ igitur ista tua delira percunctatio. Nam vbi est, inquis, ista

„ Ecclesia Catholica, in qua illi Pontifices Romani primatum exer-
„ cent? Non in eo consistit Antoni primatus Pontificis Romani, quòd eum agnoscant omnes mundi ecclesiæ, sed quòd omnes agnoscere debent, si in ecclesia Catholica esse volunt, sicut agnoscunt omnes, qui in ea sunt. Quid verò de primatu Pontificis Ecclesiæ Græcæ sentire debeant secundum euangelium, crede saltem ipsis illis Ecclesijs Græcis, quarum testimonium habes in Conc. Florent. ex vtraq; Ecclesia Latinorum, & Græcorum congregato, quod supra recitaui, sicut etiam quid vos Germani sentire debeatis, habetis testimonium Ecclesiarum omnium,

Quæ sit gloria Ecclesiæ Romanæ Quomodo non parcere igni & gladio pro custodiendo deposito Apostolicæ traditionis & doctrinæ ad crudelitatem Lutheriani, sicut olim Donatistæ, referunt.

Delira Antonij percūctatio.

Quid ecclesiæ Græcæ de primatu Pontificis sentire debeant, ipsæ testatæ sunt in Concilio Florētino.

omnium, quas maiores vestri ab initio Germanicæ Christianitatis habuerunt.

Subiungis: idem tibi dicendum est de Ecclesijs, quotquot sparsæ sunt per Asiam, & Africam. *Addis deinde:* Ac ne mihi sint aliæ regiones Europę oratiõe peragrandæ, affirmo nullum esse regnum, nullam gẽtem, (nec Italiam quidem ipsam excipio) cuius magna pars pontificium illum principatum vel palam non reijciat, vel (si per vestros ignes, & gladios id non licet) apud se non detestetur. *Visus est mihi Antonius velle dicere, etsi non audet efferre, affirmo, nullũ esse regnum, nullam gentem, (nec Italiam quidem excipio) cuius magna pars non sit Lutherana, aut schismatica. Iste enim bonus agricola reliquias delitescentes in regno pontificio oratione sua fecit crescere, vt iam non reliquiæ sint, sed magna pars regnorum, & gentium. Nescio, an tu Antoni similior sis illi piscatori, qui apud Theocritum, vt dicis, famem suam somnijs aureis pascebat. Sed quia tu omnia regna Catholica, & gentes omnes Catholicas, mendacio tuo impudentiæ, & impietatis plenissimo ad decipiendum vulgus infamare voluisti, respõdebo primò de illis regnis, in quibus fortasis, vt dicis, magna pars pontificis principatum palam reijcit, quia palam Lutherani, aut Caluiniani sunt, qui reijciunt. Quandiu caput eius, id est, rex Catholicus est, & principatum pontificis agnoscit, regnum eius Catholicum dicitur, & est, & principatum pontificis agnoscit. Regnum enim in rege est tanquam in mouente, vt Philosophi tradunt, huiusmodi sunt regnum Galliæ, & regnum Poloniæ, quorum reges oratores suos Romæ apud Pontificem, quem vt pij & Catholici venerantur, habent. qui, quia res vtriq; sui regni norunt, & pro eis excubant, expectant tempus illas magnas partes, quas dicis, reprimendi, nullam partem quietis præ solicitudine interim capientes. Deinde, quæro de illis regnis, in quibus scire potes, si vis, vigilãtissimè in Lutheranos inquiri, & confessos vel conuictos damnari omnes, quomodo scire potes, magnam in illis regnis partem apud se primatũ pontificium detestari? homo enim, vt scriptura testatur, & res ipsa probat, videt ea quæ apparent: Deus autem intuetur cor. at detestari apud se, detestari in corde est, quod solus Deus videt. Quomodo igitur audes affirmare, magnam partem in regnis Catholicis, apud se, id est, in corde suo, quod soli Deo patet, primatum pontificium detestari? quid non audebis, qui tam impius, & blasphemus in Deum esse audes? si non ignoras quod Dominus in Euangelio ait, nolite iudicare, & non iudicabimini, & quàm graue sit, ex se de alijs existimare, cur non metuis Deum? cur te facis iudicem iniquarum cogitationum, sicut ait B. Iacobus? Stultus, inquit Ecclesiastes, ambulans in via, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos existimat. Isto insipiente tu aliquanto minus insipiens es, qui non omnes, sed magnam partem talem affirmas esse, qualis tu es. Gratulor tibi, hæc gratulatio tibi debetur. illa*

Quomodo Antonius etsi non audet apertè dicere, videtur tamen dicere nullum esse regnum, nullam gẽtem, cuius magna pars nõ sit Lutherana.

Quomodo Antonius omnia regna Catholica, & omnes gentes Catholicas infamare voluit.

Quomodo Antonius impius est, & blasphemus in Deũ, & iudex iniquarum cogitationum.

verò debetur amicis Dei, quã mihi exprobras, quod dixi alicubi, Caluinianos iam penè interitum, adiuuante Deo, cepisse, de illo tempore loquebar, cùm tradidit Deus copias Caluinianas in manus Catholicorum in Gallia, qui cum eßẽt multo pauciores, impios hostes Dei et ecclesiæ eius, viribus Dei vicerũt, & trucidarunt. An non erat dexteræ omnipotentis gratulanda? vtinam illa victoria non excidisset è manibus per simulationem pacis nescio cuius consecutæ, quæ nõ erat pax, ab illo auxilio cælesti finem malorũ, & triumphum gloriosum reportare potuissent. Sed omitttamus ista, quæ non sunt huius temporis. illud magis mirandum est, quod cùm nullos infestiores inimicos, vt audio, quam Caluinianos Confessionistæ habeatis, nunc de eorum interitu doles, & gratulationem meam de diuino beneficio reprehendis. immò verò non est mirandum, quod familiare esse solet, vt inimici amicitiam in communem inimicum ineant, quod in morte Christi Herodes & Pilatus fecerunt, quod in euangelio scriptum est, vt in eo tanquam in exemplo, quorsum amicitiæ diuersarum sectarum inter se spectent, facilè intelligeremus. Aliud præterea in meo libro accusas, cum ais,

Quomodo cum Cõfessionistæ nullos habeant infestiores inimicos q̃ Caluinianos, nunc corũ patronus Antonius de eorum interitu dolet.

„ Quin etiam non te puduit, hæc Aggæi verba citare, Vnusquisque
„ in gladio ad fratrem suum, vt inde probes tuum pontificem iure
„ in Euangelij professores sæuire posse. atqui loquitur Aggæus de
„ ipsis Ecclesiæ hostibus, (quod miror à te non fuisse animaduer-
„ sum) quos tandem prædicit, mutuis vulneribus interituros. *Habemus Apostolum huius prophetiæ interpretem in epist. ad Heb. cap. 12. cuius interpretationi magis credendum est, quam Rabinis, & Iudaicis interpretibus. De nouo enim testamento interpretatur Apostolus, et de hostibus ecclesiæ nostræ loquebatur propheta. Recitabo interpretationem Cyrilli Alexandrini ex comment. eius Græcis. interpretemur Latinè, adhuc semel & ego mouebo cælũ, &c. moui, inquit, siue concussi orbem, quando eduxi Israel de Aegypto; verum mouebo adhuc, id est, celebre, & clarum faciã in toto orbe, & veluti omnia concutiens, regum solia euertam, & totam eorum potentiam ceu quosdam equos cunctam percursantes terram, eijciam, et excitabo alios equites educentes gladios aduersus genus, & fratres. Videtur significare principatus & potestates aduersarias à Christo pstratas, & deuictas, quo nos liberaret ab eis, sicut est in cantico Mariæ virginis, cũ ait, deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles, &c. nec hoc solum, sed excitauit etiã Christus bellatores quosdã pugnandi peritissimos, nempè discipulos, qui districto gladio spirituali, quod est verbũ Dei, ferebantur aduersus omnes, scilicet aduersus genus, & fratres, vt eos mundo interficerent; & sic interfecti viuerent Deo. Sic Dominus in Euangelio, nõ veni, inquit, pacem mittere in terram, sed gladium; veni separare hominem aduersus fratrem suum, & filiam aduersus matrem suam. Hactenus Cyrillus. Fa-*

Locus Aggei prophetæ, adhuc semel & ego mouebo cælum, &c.

teor impleri in ecclesia prophetiam Aggæi eo modo, quo B. Cyrillus interpretatus est in gladio spirituali, quod est verbum Dei, quo quotidie aduersus hæreticos, & eorum dogmata pugnamus; & sæpè eos diabolo, & hæresi veluti occidimus, cum eos ad veritatem conuertimus. sed quia hoc etiam in Ecclesia Catholica fit, vt gladio vero tollatur, cùm opus est, malum de medio nostrũm, non est alienum, neq; exemplo Apostolico caret, quod Aggæus dixit, vnusquisq; in gladio ad fratrem suum, ad id etiam licet minus propriè accommodare, quod pro defensione fidei Catholicæ in ecclesia à potestate sæculi fit, cuius gladio traditur hæreticus; potestas enim spiritualis non portat gladium. mendacium itaq; tuum est, quod dixisti, probare me hoc Aggæi testimonio nostrũ pontificem iure sæuire in Euangelij professores. sic enim, vt dignum te erat, vocasti professores euangelij Lutheri. Exemplum Apostolicum, quod dixi, sit illud, quod in Paulo legimus in epist. ad Rom. cap. 10. cùm ait, & quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quod enim propriè propheta dixit de admirabili vicissitudine dierum & noctium, quæ præconio diuinæ sapientiæ & ordinis vniuersum orbem implet, Apostolus ad discipulos, & Euangelistas, atque Apostolos καταχρηστικῷ τρόπῳ ἐυκαίρως ἀνήγαγεν, vt Eusebius Cæs. in comment. suis eruditissimis notauit.

Quomodo possit exemplo Pauli & proprie in scriptura de alia re dictũ est, ad aliam opportunè per abusionem, quæ catachresis dicitur, accõmodari.

Deinde pergens Antonius ad calcem, repetit quod paulò ante dixerat alio illustri mendacio cumulatum, cùm vniuersus, *inquit,* propemodum orbis pontificium principatum ignoret, vel certè execretur, id quod innumerabiles homines indies magis magisque faciunt, & facient adiuuante Deo, consequitur Ecclesiam Romanam nulla ratione Catholicam dici posse. *Qui sunt isti innumerabiles homines, qui indies magis ac magis hoc faciunt, id est, Pontificium principatũ execrantur; videris velle dicere innumerabiles homines indies fieri Lutheranos, aut Caluinianos. demus ita esse, vt fingis, sunt ne isti innumerabiles, qui Lutherani, vel Caluiniani fiunt, per cunctum orbem sicut Ecclesia Catholica diffusi? si non sunt, quomodo sequitur ex ista innumerabilitate, Ecclesiam Romanam, cuius fides per vniuersum mundum, sicut Paulus ad Rom. scripsit, annunciata est, nõ esse Catholicam? Deinde cum paulò antè affirmasti nullum esse regnum, nullam gentem, cuius non magna pars principatum Pontificis, vel palam reijciat, vel si id per ignes & gladios non liceat, non apud se detesletur, de regnis Catholicis loquebaris; nunc verò ais, cùm vniuersus propemodum orbis principatũ Pontificis ignoret. quis non videt loqui te de regnis & gentibus, quæ non sunt Christianæ? quæ etsi plures sunt, quam Christianæ, sicut plures sunt, qui pereunt, quam qui salui fiunt, an ideò non est Ecclesia Romana Catholica dicenda? Videris mihi ignorare vim verbi Catholici, quam te optimè docebit Cyrillus Hierosolymitanus in*

Quale sit, & ait Antonio innumerabiles homines indies magis ac magis execrari Pontificium principatũ quod optat.

Quomodo ignorat Antonius vim verbi Catholici.

nus in catechesi 18. vertam è Græco: si quando, inquit, ciuitates adieris, ne quæras solum vbi est κυριακόν, id est, templum Domini. Impiorum enim sectæ speluncas suas, templum Domini appellare solent. Neq; rursus quæras, vbi est Ecclesia, sed potius, vbi est Catholica Ecclesia hoc est præcipuum nomen huius Catholicæ & parentis omnium nostrûm ecclesiæ, quæ est sponsa Domini nostri Iesu Christi filij Dei vnigeniti: & paulò post, reges, inquit, gentium, & regionum potestatem quidem habent terminis circumscriptam. Solius verò Ecclesiæ Catholicæ potestas nullis terminis definita in cunctum orbem pertingit. Et paulò supra, rationem nominis copiosius explicans, Catholica, inquit, ecclesia dicitur, quia à finibus terræ vsq; ad fines pertingit; & quia docet καθολικῶς καὶ ἀτελεύτητος, id est, generatim, & perfectè, quæcunq; dogmata scire oportet, de ijs, quæ videntur, quæq; non videntur, de cælestibus & terrenis; & quia omne genus hominum subijcit religioni, tum potestates & magistratus, tum priuatos: et quia in vniuersum curat omne genus peccati, quod per animam & corpus consummatur; & quia continet in se omnem speciem, & formam virtutis in operibus, in sermonibus, in varijs charismatibus. Ecclesia autem appellatur φερωνύμως, id est, vt ipsum nomen declarat, & præ se fert, quia vocat omnes, & congregat in vnum. Hactenus Cyril. Viderit Antonius an totā hanc rationem verbi Catholici ad Ecclesiam suam Catholicam inuisibilem accommodare queat. Hoc postremum, vocare scilicet omnes, & in vnum cōgregare, inprimis Ecclesiæ Romanæ conuenit, quia ab hac Ecclesia, in qua successor Petri sedet, exordium vnitatis cæterarum Ecclesiarum ducitur, siquidem, vt B. Cyprianus ait, vnitatis originē ab vno incipientem, id est, à Petro, de eo enim loquitur, sica auctoritate disposuit Christus. Et subiungit idem Cyprianus, hanc ecclesiæ vnitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? credo te iam ex his satis intelligere, etsi vniuersus propemodum orbis primatum pontificis ignoraret, vt tu fingis, nihilominus Ecclesia Apostolica Romana Catholica diceretur, & esset; sicut & cæteræ ecclesiæ in eadem fide conspirantes, sicut ait Tertull. in libro de præscriptionibus hæreticorum, non minus Apostolicæ, adde etiam Catholicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. Sed redeo ad illos innumerabiles homines, quos dicis indies magis ac magis principatum Pontificis execrari, quod, vt dixi, ad eos retulisse videris, qui indies Lutherani, aut Caluiniani fiunt, quanto nos verius dicere possumus innumerabiles homines indies magis ac magis principatum Pontificis celebrare, & profiteri. Si nunquā legisti de rebus Indicis libros, qui feruntur, aut non audisti, quod omnes audiunt, quot myriades hominum, quot regna, prouinciæ & nationes in India ad fidem Ecclesiæ Romanæ iam pridem venerint, & indies magis ac magis veniunt; aut si legisti, vel audisti, fabulam tamen ducis, quod quidem minus in eo mirandum est, qui ea, quæ omnibus

Cyrill. Hierosolymitanus de verbo Catholici.

Doceat Antonius totā hanc rationē nominis Catholici à Cyrillo expositam cōuenire Ecclesiæ Protestantium; aut si docere non potest, necesse est fateatur nō esse Catholicam.

omnibus Ecclesijs tradita sunt, & ecclesijs maiorum suorum ab initio tradita fuerunt, non credit, proficiscere Hispalim in Hispaniam, & in Lusitaniam Vlyssiponem, & ne tibi nauigandū sit, expecta illic ex Meridie & ex Occidente naues; & si piget legere, aut non credis literis, percontare à vectoribus, an quæ dicimus, et scripta feruntur, vera sint. Quod autem malè, quod cupis, Pontifici Romano ominaris, nō adiuuante Deo, vt dicis, sed irato; præ te fers, cuius discipulus sis, Lutheri scilicet, qui sic in resolutione suorum articulorū de Pontifice scripsit; Nunquam fuit super omnes Ecclesias totius mundi Romanus Pontifex, sed nec adhuc est, nec vnquam in futurum erit, vt spero. *Vide, quo progressa est impietas istius pseudopropheta, vt speraret, fore falsum, quod Dominus in euangelio futurum esse affirmauit, vt esset vnum ouile, & vnus pastor, quod de successore Petri B. Cyprianus in libro de vnitate ecclesiæ interpretatus est. idem tu cum magistro tuo ad inferos relegato speras, optas, & precaris. Quod verò scripsisti de me,* vtinam pacem potius optarem, & sanctam totius orbis Christiani concordiam, quā dicis te, & tuos à Deo totis animis deprecari; *vt ad hoc quoque respondeam, non possumus pacem optare, quam facere cum hæreticis Apostolica constitutio, & scriptura sancta vetant. Sic enim libro 6. cap. 18. de constit. Apost. sancti Apostoli præceperunt. Fugite, inquiunt, communionem hæreticorum; & ne sit vobis pax cum eis, de ipsis enim pronunciauit propheta, non est saluere impijs, ait Dominus. Sic locum Esaiæ 57. interpretatur Apostolica constitutio; quem locum imitatus est Ioannes, qui in epistola sua iubet, nec aue eis dicere, eodem verbo χαίρειν vsus est, quo LXX. In huiusmodi pacem vetitam, & interdictam intuebatur Apostolus, cum in epistola ad Rom. ait, si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. cùm dixit, si fieri potest, pacem aliquam significauit, quæ fieri non potest, quia non licet. Redite ad Ecclesiam, vnde exiuistis, & erit vobis cum Deo, & nobiscum pax. Desinite esse in vos crudeles: Sanguis enim vester & eorum, quos decipitis, & in errore detinetis, de manibus vestris requiretur. Hactenus responsum sit ad omnia, quæ in hoc cap. 10. scripsisti, nihil enim prætermisi siue eorum, quæ ad quæstionem & causam pertinebant, quibus contentus esse poteram; siue eorum, quæ ad disceptationem nostram non spectabant, ne quid desideraretur. Cupio si consequi potero, esse in reliquis, quæ sequuntur, breuior, vt postea ad alia grauiora occupationem meam applicare possim.*

Antonij ominatio execrabilis, & votū detestabile ad exemplum Lutheri sacrilegi & incesti apostatæ.

Quomodo pacem cum hæreticis facere Apost. constit. vetat, & de loco Esaię quē Ioānes imitatus est.

Locus Vndecimus Esaiæ.

Præficiam iudices tuos, sicut prius, & consiliarios tuos, sicut ab initio.